



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones
humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

V. De Symbolo Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

SECTIO V.

De Symbolo Fidei.

Cum inter Apostolicas traditiones vna ex præcipuis, & populo christiano maximè necessarijs sit symbolum fidei; ideo de illo breuiter hic agendum est.

Ac in primis dicendum est valde necessarium fuisse condi libellum illum, qui dicitur vulgo symbolum fidei; quo primaria catholicæ fidei capita velut in compendium breuissimum, redigerentur: hâc enim breuitate (vt docet S. August. lib. I. de Symb. ad catech. c. i.) consultum fuit idiotis rusticis & pueris, vt fidem explicitam de præcipuis mysterijs facilius concipere & retinere possent. Deinde eadem breuitas aptissima fuit, vt fideli vnitas & conformitas toto orbe facilius seruaretur; omnesq; Christiani essent vnius labij & cynius oris, vt innuit S. Ireneus L. 1 contra hæreses cap. 3.

Dicendum 2. symbolum fidei Catholicæ ab Apostolis fuisse conditum. Hoc tanquam certum tenendum est; ac merito temeritatis & erroris damnandus Erasmus, qui præfatione ad suas paraphrases in S. Matth. dubitat de hac veritate, quam tamen indubitatam yniuersa semper tenuit Ecclesia, & quam vnanimiter docent sancti Patres, vt S. Ambros. in serm. de Elia & ieiunio, S. Hieron. epist. 61. S. Leo epist. 13. S. August. serm. 2. Dominicæ in Palmarum ramis: vbi etiam vnicuique Apostolorum suum articulum tribuit, & ideo illud fidei compendium vocatum est symbo'um, quasi co'latio & mutuum consilium; quia scilicet (vt docet S. Clemens epist. 1. ad Iacobum) Apostoli communii consilio inter se habito illud considerunt; vel quia est quasi indicium vel signum, quo fideles ab infidelibus discerni possent, vt notat idem S. Clemens ibid.

Dicendum 3. alia quoque fidei symbola in Ecclesia Catholicæ edita esse varijs temporibus occasione diuersorum hæreſeon erumpentium: quæ tamen nihil aliud continent, quam pleniorē ipsius symboli Apostolici explicati-

cationem: sunt autem tria præ cæteris in Ecclesia receperunt: primum est illud, quod in i. Concilio Niceno aduersus hæresim Ariji editum fuit; in quo ea, quæ ad diuinitatem filij spectant (quam impiè negabat Arius) fusiū exp̄nuntur.

Secundum symbolum editum fuit in Concilio Constantinopoli i. contra Macedonium hæreticum, qui diuinitatem Sancti Spiritus impugnabat: in quo proinde, quod ad ipsius Spiritus Sancti diuinitatem spectant, fusiū explicantur: Et illud idem est, quo Ecclesia Romana in Misericordia sacrificio utitur; uno tantum verbo aduersus errorem Graecorum addito, quo profitetur Ecclesia Spiritum Sanctum non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedentem. Cui symbolo etiam ipsi Greci cum eorum Patriarcha in Concilio Florentino subscripserunt.

Tertium denique symbolum est S. Athanasii, quod p̄ se, cū Arrianis persequenteribus Romæ profugus esse composuit, & Iulio summo pontifici obtulit; illi tanquam Christi vicario fideli sua rationem reddens: quod postea vniuersa Ecclesia in tanta veneratione habuit, ut vndeque terrarum (sicut docet Baronius ad ann. Christi 340.) varijs idiomatibus versum fuerit; & pro legitima fidei professione suscepimus.

SECTIO VI.

An obiecta fidei creuerint successu temporis.

Sensus questionis est, an plures veritates tanquam Deo reuelatae, uno tempore credenda fuerint quam illo; v. g. tempore legis gratia, quam legis Mosaicæ; item his posterioribus seculis post tot Conciliorum in materia Fidei definitiones, quam primis Ecclesia temporibus, in quibus nulla vel paucissima Concilia habita fuerant: pro cuius resolutione.

Dicendum i. eamdem fuisse prorsus fidem, et si non qualiter explicitam, in sanctis Patriarchis ante Christum.